

bellum. sed forte secum L. Syllam legatum, unum de nobilibus, in pro- 14  
uinciam duxit, atque ibi confecto feliciter bello et Iugurtha capto ad  
urbem rediere uictores, atque statim uirtute cognita Marius in Galliam  
missus, quae tunc Romanos fines hostili incursione uexabat.

5 Eodem tempore Mithridates cum magnis copiis uniuersam Asiam ur- 15 (III)  
besque sociorum expugnando atque uastando coepit affligere. ad quem 16  
coercendum L. Sylla est cum exercitu destinatus, cuius in Africano bello  
probata erat corporis atque animi magnitudo.

Hoc ubi Mario compertum est, terminare quod gerebat proelium 17  
10 festinauit: et homo infinitae cupidus gloriae non patiebatur libertatem  
dignitatemque Romanam alterius uirtute defendi; contusis igitur Gallis  
uastataque natione penitus barbarorum Romam iterum uictor intrauit.  
itaque instinctu eius Sulpicius tribunus plebis legem tulit, ut auferretur 18  
Syllae prouincia ac Mario daretur.